

constituentia integrum objectum, ut cum uno in objecto, mutat totum actum, aut addit actu volo succurrere tribus pauperibus: non enim fingendum est in illo actu esse unam partem, quae terminatur ad unum pauperem, et aliam, quae ad alium: sed totus ille actus terminatur ad totum objectum, et ad singulas personas illius, ut ad partes ejus. Secundo modo, ut voluntas tendat in objectum quatenus est tanta bonitate affectum ex conjunctione omnium circumstantiarum, quas veluti in obliquo attingit, ut si quis velit orationem factam in Ecclesia, considerans illam orationem, ut meliorem et gratiorem Deo ex illa circumstantia, quamvis per actum voluntatis non recta tendat in illam circumstantiam loci, sed in orationem ut sic propositam, id satis est, ut ex circumstantia habeat bonitatem, quia jam attingit illam, ut reddit objectum objective melius, nam inde fit, ut actus etiam ipse sit melior.

10. Et hinc intelligitur, quod supra dicemus, has circumstantias objectivas in tantum conferre ad bonitatem actus interioris, in quantum aliquo modo constituant objectum individuale illius. Sicut enim individuum in re ipsa non distinguitur a natura specifica, ita etiam haec bonitas ex hac circumstantia non distinguitur a bonitate specifica. Quare non mihi displicet modus loquendi aliquorum, qui dicunt has circumstantias, licet dicantur accidentia respectu rationis specificae, tamen respectu individui esse quasi substantialia principia: quia suo modo concurrunt ad individualem constitutionem talis actus, quod est verum in actibus bonis, et in quibuscumque aliis quoad speciem, et entitatem positivam actus: quoad speciem vero malitiæ, vel augmentum ejus, non verum, ut suo loco dicemus.

11. Atque hinc etiam fit eundem numero actum non posse esse magis, vel minus bonum ex his circumstantiis objectivis, quamvis esse possit ex circumstantiis, quae immediate afficiunt ipsum actum interiore, ut postea dicemus. Ratio vero est, quia hic actus interior est indivisibilis, ut attingens objectum cum his circumstantiis, ut dixi: ergo non potest minui, seu dividi secundum eam habitudinem, quam habet ad tale objectum cum circumstantiis: alioqui posset pars ejus tolli, et pars manere: quomodo ergo dicebatur indivisibilis? Et eadem ratione augeri non potest per additionem aliquam, quae cum illo faciat compositionem, quia, ut saepe dixi, nulla talis compositionis reperitur in his actibus: quandocumque ergo voluntas plura, vel pauciora amplectitur

in objecto, mutat totum actum, aut addit novum. Unde sub eadem specie potest unus actus esse melior alio ex his circumstantiis: non tamen idem actus potest in individuo esse magis, vel minus bonus ex hoc capite.

12. Secundo hic vulgaris questio fieri potest et solvi, scilicet, quia videtur posse actum voluntatis habere infinitam bonitatem ex aliqua circumstantia, verbi gratia, ex circumstantia *Quid*. Patel sequela, quia si quantitas objecti auget bonitatem actus: ergo si in objecto ponatur infinita quantitas, erit in actu infinita bonitas, verbi gratia, velle subvenire uni pauperi est aliquod bonum, velle subvenire duobus, est melius: ergo si quis affectu velit subvenire infinitis hominibus, vel infinitas divitias elargiri, habebit inde actus infinitam bonitatem. Solet communiter responderi, non bene colligi, quia cum pervenitur ad infinitum, non possunt esse cætera paria: vel quia objectum infinitum magis confuse proponitur et concipiatur per modum unius, vel quia voluntas non potest æquale efficacia in illud tendere, sed ad summum effectu quodam conditionato, quia illud objectum non potest proponi, ut possibile.

13. Hæc tamen non satisfaciunt, quia nihil repugnat hæc omnia sumi cum æquali proportione, scilicet, quod quælibet quantitas finita proportionatur etiam confuse, et per modum unius: nam etiam major quantitas sic proposita augebit bonitatem actus: ergo etiam infinita quantitas sic proposita, proportionaliter augebit: vel e contrario, si quantitates finite proponantur distincte et clare: fieri etiam potest per scientiam superiore, ut infinita quantitas eodem modo proponatur et cognoscatur. Similiter ex parte voluntatis servari potest proportio ex modo affectus, scilicet, quod circa quantitates finitas, et infinitas non sit simpliciter efficax affectus, sed solum quantum est ex parte operantis, nam hic idem affectus erit melior ex majori quantitate objecti, vel e contrario circa aliquod infinitum, potest etiam voluntas efficax dari. Unde totum argumentum urget optime in Christo Domino, qui potuit habere pro objecto cuiusdam voluntatis efficacis infinitam satisfactionem distinctissime et clarissime propositam: nam licet ad satisfaciendum, vel finite, vel infinite non oporteat habere ipsam satisfactionem pro objecto, sed satis sit exercere actum penale cum omnibus conditionibus requisitis ad satisfaciendum: nihilominus non repugnat tendere directe in ipsam satisfactionem, ut in objectum quoddam,

quod cum sit bonum, dabit actui interiori bonitatem: ergo quo fuerit major satisfactio posita in objecto, erit major bonitas in actu: ergo si illa fuerit infinita, ut fuit in Christo, habebit actus voluntatis infinitam bonitatem: quia neque ex parte intellectus aliquid deest, cum sit clarissima et distinctissima propositio: neque ex parte voluntatis, cum sit efficax et operativa, et re ipsa habeat effectum.

14. *Satisfit difficultati in num. 13.* — Tamen ex principiis positis facile responderetur. Solum enim concluditur illum actum in ea specie habere individualem quamdam entitatem meliorem, quam sit quælibet alia, quæ versetur circa objectum finitum, cæteris paribus. Hæc autem perfectio non indicat infinitatem simpliciter, quia tota entitas illius actus simpliciter finita est tam essentialiter, quam intensiæ: extensive autem nullam in se habet quantitatatem, seu quantitatis modum, cum indivisibilis sit, et ideo nullo ex capite potest esse infinita simpliciter; secundum quid tamen, et objective potest dici infinita, quia attingit objectum infinitum, et quia excedit ex hoc capite, et cæteris paribus quemlibet actum intra illam speciem, et illud objectum constitutum, etiam in infinitum crescat, et multiplicetur. Quomodo amor Dei dicitur infinitus respectu amoris cujuscumque creaturæ, et de visione Dei idem diximus suo loco.

15. *Instantia.* — *Diluitur consideratis actibus in sua bonitate entitativa.* — *Deinde consideratis in ratione meriti.* — Dices saltem concedendum esse illum actum æquivalere infinitis actibus, quia faciendo comparisonem infinita objecta, voluntas dandi decem aureos in eleemosynam æqualet decem actibus circa unum aureum: ergo similiter, etc. Respondeatur hanc comparisonem, seu æquivalentiam vix posse intelligi in quo consistat, saltem secundum physicam entitatem, quia omnes illi actus in individuo habent suam propriam, et individualem perfectionem: quare non appareat quomodo unus actus possit æquivalere multis formaliter et entitate sua. Quod effectum autem, et quoad efficaciam dandi eleemosynam, concedo unum actum æquivalere multis: et eodem modo in actu circa infinitum, si sit absolutus et efficax, ut fuit in Christo Domino, concedo habere effectum infinitum: et hoc modo æquivalere infinitis actibus: si vero sit actus inefficax, proprie non poterit habere hujusmodi modum afficiendi, sive sit circa objectum finitum, sive circa infinitum. Denique si comparatio sit moralis, verbi gratia, si di-

catur unus actus æquivalere multis in merito, non videtur mihi necessarium unum actum volendi dare centum, esse æque meritorium centum actibus dandi unum: quia licet quantitas objecti sit æqualis, tamen multitudine actuum potest multum ad meritum conferre. Et idem majori ratione dicendum est, quando illa multitudine actuum objective tantum sumitur, nam si quis habeat in principio unum actum voluntatis, quo velit illa die exercere centum actus patientiae, non tantum meretur illo unico actu, quantum postea exercendo illos centum actus, quia objectum non transfundit in actu totam bonitatem, quam in se habet: quia non est forma intrinseca, sed solum terminus extrinsecus: et ideo amor Dei non est tam bonus, sicut ipse Deus: et ibi etiam procedit alia ratio, quia ipsa multiplicatio actuum auget bonitatem et meritum.

16. *Bonitas determinata in actu sumi potest ex objecto indeterminato.* — Denique hinc etiam interdum fieri potest, ut in objecto non proponatur determinata quantitas, et tamen in actu sit determinata bonitas. Ut, verbi gratia, si quis velit dare in eleemosynam quidquid habet in manu, nesciens quanta sit illa quantitas, tunc voluntas illa habere debet certam et determinatam bonitatem, quia est individua entitas simul tota existens in re. Unde Deus scit quanta bonitas sit illa in illo actu, quantumque meritum illi respondeat: quia licet quantitas objecti, ut proposita et cognita sic operanti, sit incerta, tamen habitudo ad illud sic propositum est certa et indivisibilis: et ideo in ratione objecti et termini talis habitudinis est quid sufficienter determinatum ad confrandam tantam bonitatem, que revera tunc non pendet ex determinatione quantitatis, quam objectum habet in re, quia illud est respectu operantis casuale et contingens: solum ergo ex hoc pendet, quod tali modo operandi talis bonitas respondet ex vi talis actus voluntatis, qui necessario fit operando tali modo.

17. Ex dictis est facilis responsio ad rationes dubitandi in num. 2. Ad primam responsum jam est negando assumptum: ostensum est enim, num. 6, solam parentiam actus mali non sufficere ad bonitatem, nisi adsit positiva voluntas non operandi male. Ad secundam respondeatur, voluntatem cause si terminetur ad illam, ut causa est, seu quatenus virtute continet effectum, ut sic, sumere quidem bonitatem ex virtuali illa voluntate effectus, quia illa voluntas virtualis effectus tunc non est solum per interpretationem, seu imputationem

moralem, sed per formalem voluntatem tendentem ad effectum, vel in se, velut contentum in virtute causæ. Voluntas autem rei, quæ est, vel esse potest causa, vel occasio alterius effectus, si nullo modo terminetur ad illum effectum, nec est, nec dici potest virtualis voluntas ejus, sed tantum permisso ejus. Cujus signum est, quia illa eadem omnino voluntas posset manere, licet invincibiliter ignoraretur talis effectus.

18. Tertium argumentum est difficilior, et petit speciale difficultatem, an scilicet actus voluntatis habens unam speciem bonitatis, possit habere alias quasi supervenientes a circumstantiis: nam argumenta ibi facta videntur partem affirmantem persuadere: et videatur favere Tridentinum, sess. 14, cap. 5, et canone 7, quatenus docet inveniri posse in actibus moralibus circumstantias mutantes speciem. Nec refert, quod loquatur de actibus malis, nam, ut dicebam in ipso tertio argumento, videtur esse eadem ratio de bonis, cum opposita debeant fieri circa idem. Item in exemplo potest ostendi, quia velle dare eleemosynam pauperi sacerdoti, est actus melior ex illa circumstantia personæ, *circa quam*, non est autem melior, nisi per additionem bonitatis specie distinctæ, quia illa circumstantia pertinet ad aliam virtutem, scilicet religionis, cum tamen actus quoad substantiam suam pertineat ad misericordiam.

19. Nihilominus opinor has omnes circumstantias objectivas, quatenus tales circumstantiae sunt, nunquam conferre actui interiori distinctam speciem bonitatis: et quoad hoc potest illa sententia esse vera, quæ docet circumstantiam, ut sic, non dare speciem actui interiori, quod significat D. Thomas, 1, 2, quæst. 18, art. 5 et 10, et quæst. 19, art. 2, et quæst. 72, art. 9, et quæst. 2, de Malo, art. 6. Quibus locis licet in communi loquatur de actibus bonis et malis; tamen, ut infra dicam, in malis non oportet verificari quoad id, quod est negativum, vel privativum in actu, sed quoad speciem positivam, per quam fere semper D. Thomas explicat specificationem illorum actuum. Ratio nostræ opinionis est, quia illa circumstantia, quæ mutat speciem, non potest dare bonitatem actui interiori, nisi per se sit intenta, et directe secundum suam honestatem: si autem hoc modo intendatur, constituit propriam et entitativam speciem actus suæ virtutis, quæ non potest coalescere in eamdem entitatem cum alio actu alterius virtutis specie distinctæ, ut ex dictis disputatione præcedente

facile probari potest. Præterea si honestas objecti præcise sumpti, et honestas circumstantiae movent voluntatem: ergo sunt ibi duo motiva specie distincta. Vel ergo æque proxime et immediate movent, et sic constituent duos actus, sicut specie, ita et re distinctos, et ad invicem, et mutuo separabiles, quia potest voluntas ex uno illorum operari, et non ex alio, et e converso. Si autem non æque proxime movent, unum habebit rationem motivi proximi, et alterum rationem finis remoti: et ita non specificabit, ut circumstantia, sed ut finis et objectum. Tandem in superioribus diximus non posse unum actum interiorum habere duas bonitates specie diversas intrinsecas, et reales ab eodem materiali objecto sub diversis motivis, seu honestatibus objectivis in illo existentibus; ergo multo minus poterit has duas bonitates specie distinctas ab objecto et circumstantia mutante speciem sortiri. Probatur consequentia, quia tunc in illo objecto, non solum inveniuntur diversa motiva per se sufficientia ad distinctionem actuum, sed etiam in illo materiali objecto est aliqua diversitas, quatenus unum includit conditionem, et circumstantiam, quam non includit aliud.

20. Ad D. Thomam respondetur, in hoc loco, et aliis hujus quæst. 18, locutum esse in communi de bonitate, et malitia formalis, vel objectiva, et abstractando ab actu interiori, vel exteriori: quare non est necesse omnia, quæ dicit verificari de actibus internis quoad bonitatem formalem, sed singulis rebus applicanda sunt juxta earum capacitatem. Aliis vero locis agit de actibus ex objecto, seu formalis motivo actus, ut locis supra citatis, et in 1, 2, q. 72, a. 9, et 2, 2, quæst. 53, art. 2, ad 3, et q. 92, art. 2. Ad Tridentinum fatemur in actibus malis sumi posse distinctam speciem malitiae a circumstantia mutante speciem, vel addente illam, licet non sit per se intenta, nec habeat rationem finis, seu motivi. In quo est magna differentia inter bonitatem et malitiam, quia ad bonitatem necessarium est *voluntarium directum*, ad malitiam vero sufficit *indirectum*: neque est necessaria habitudo, seu tendentia realis, ac physica voluntatis in talem circumstantiam, sed sufficit moralis imputatio. Unde licet malitia et bonitas versentur circa idem, non tamen eodem modo circa unum. Ad exemplum adductum respondetur illud esse verum per concomitantiam actuum bonorum, si altera bonitas sit per se intenta, ut finis remotus, altera ut proximus. Vel denique interdum accidere potest, sicut in superioribus dixi, quod

ex conjunctione circumstantiae sufficientis ad dandam novam speciem bonitatis, alia bonitas objectiva, etiam in propria specie censeatur melior, et majoris estimationis, ut quod jejunium præceptum, non solum in ratione obedientiae, sed etiam in ratione temperantiae melior sit, et hoc modo habebit actus ab illo objecto tali circumstantia affecto, majorem bonitatem; tunc tamen illa circumstantia proprie non concurrit, ut mutans, vel addens speciem, sed ut augens bonitatem intra eamdem speciem.

21. Ultimo ex dictis a fortiori infertur, actum qui versatur circa idem objectum indifferens, nunquam posse habere bonitatem a circumstantia ut circumstantia est, sed necessarium esse, ut sit intenta, aut per modum finis, aut per modum proximi objecti et motivi. Quod plane docet D. Thomas, locis citatis, et probatur rationibus factis, quia ut actus interior fiat bonus ex tali circumstantia, necesse est, ut honestas objectiva, quæ in illa existit, vel resultat illa posita, sit per se intenta per actum bonum: ergo debet intendi per modum finis vel remoti, vel proximi, qui coincidit cum objecto. Denique propter hoc dictum est circumstantiam necessariam ad primam bonitatem actus, non esse proprie circumstantiam, sed conditionem essentiale actus moralis, neque in hoc occurrit nova difficultas.

SECTIO III.

Quomodo circumstantia actus interioris, quæ immediate ipsum afficiunt, debeant esse voluntariae, ut dent bonitatem: et quæ sit talis bonitas.

1. *Arguitur debere esse directe volitas.* — Ratio dubii esse potest, quia videtur necessarium has etiam circumstantias intendi per modum objecti per se et directe voliti: nam D. Thomas 1, 2, quæst. 19, art. 2, absolute negat actum interiorum habere bonitatem a circumstantia ut sic, sed ab objecto solum: ergo quidquid dat bonitatem huic actui ex quoque capite, oportet, ut induat rationem objecti saltem individualis, scilicet quoad hoc, ut sit in se et directe volitum objective. Confirmatur primo a paritate rationis, nam si in circumstantiis objecti hoc est necessarium, cur non in aliis. Rationes enim factæ, sect. præcedente æque videntur hic procedere, scilicet, quia *bonum ex integra causa*: et quia bonum non est per solam imputationem, sed per realem

tendentiam voluntatis. Confirmatur secundo, quia haec circumstantia non conferunt actui malitiam, nisi sint voluntariae saltem indirecte, vel in alio. Hac enim ratione, qui habet votum castitatis, si omnino est illius voti oblitus, quamvis contra castitatem peccet, non habet malitiam ex illa circumstantia *quis*, quia tunc neque indirecte est voluntaria: ergo ut det bonitatem requirit *voluntarium directum et in se*: quia magis ad bonitatem, quam ad malitiam necessarium est.

2. *Arguitur id non oportere.* — In contrarium autem per extreum videtur nullum *voluntarium* etiam *indirectum* requiri, ut haec circumstantia conferant bonitatem. Quod probatur breviter inductione. Nam qui bene operatur omnino ignorans statum suum, scilicet, an sit in gratia, vel in peccato, si sit in gratia mereatur. Unde necesse est ut ex illa circumstantia *quis*, accrescat actui aliqua bonitas, et tamen illa circumstantia non est voluntaria ullo modo, cum omnino sit ignorata. Idem videtur licet in circumstantia *quando*, quoad durationem intrinsecam: nam homo fere semper ignorat quantum duret in actu suo interiori: et nihilominus illa duratio tantum auget bonitatem, quantum ipsa est. Idem est de circumstantia *quomodo*, quoad intensionem: et in his omnibus, ut minimum est certum tales circumstantias non esse objective et per se intentas, quia neque considerate sunt, neque cognitæ: ergo non sunt voluntariae directe: sed in bonis nullum est *voluntarium indirectum*, quia hoc vel tantum est per privationem actus, vel per imputationem ratione prohibentis præcepti, ut supra argumentabar: ergo nullo modo sunt voluntariae. Idem argumentum fieri potest de circumstantia *quomodo*, quantum ad libertatem majorem, vel minorem: hæc enim auget bonitatem, et tamen non est per se volita, nec cogitata major libertas. Atque hoc spectat circumstantia *quibus auxiliis*: interdum enim actus interior est magis, vel minus bonus, quia fit cum majori, vel minori auxilio gratiae, quod tamen totum fit homine ignorantem, et præter voluntatem saltem quoad antecedentia auxilia.

3. *Prima observatio pro decisione.* — In hac quæstione primo omittamus circumstantias *quid*, et *circa quid*, et circumstantias *loci*, et *temporis extrinseci*: nam duæ priores continent objectum ipsum, et ideo nunquam circumstantia actum interiorum ex parte ipsius, sed solum ex parte objecti: duæ autem posteriores, quamvis videantur posse afficeret intrin-

sece ipsum actum: nam actus etiam interior fieri potest, aut in Ecclesia, aut extra: et in die festo, vel alio: tamen haec circumstantiae respectu ipsius actus semper sunt indifferentes, nisi transeant in rationem objecti. Cujus signum sufficiens est: quia si conditiones harum circumstantiarum omnino ignorentur, nihil possunt ad honestatem actus conferre: ratio autem esse videtur, quia haec circumstantiae sunt valde extrinsecæ, presertim respectu actus interioris, et ideo nisi terminent aliquo modo ex parte objecti habitudinem talis actus, nihil ei conferunt. Superest ergo dicendum de circumstantia *quis* et *quomodo*: sub qua comprehendimus circumstantiam *quibus auxiliis*, et circumstantiam *quando*, prout dicit intrinsecam durationem actus. In quibus nulla est differentia de circumstantiis mutantibus, vel non mutantibus speciem, quia, ut videbimus, omnes haec circumstantiae ad summum possunt augere intra eamdem speciem quatenus intrinsecæ actum afficiunt.

4. Secunda observatio.—Est autem secundo observandum, quod supra dictum est, in actu interiori aliud esse bonitatem actus, aliud vero moralitatem: nam bonitas sumitur ex habitudine ad objectum, seu finem: moralitas ex libertate. Unde fit posse actum augeri, vel minui ex circumstantiis quoad moralitatem, et non quoad bonitatem, quia idem actus secundum eamdem habitudinem ad objectum potest esse magis, vel minus liber propter maiorem vel minorem advertentiam, aut antecedentem inclinationem: unde quia bonitas actus non attribuitur operanti ad laudem, vel meritum, vel alias similes proprietates morales, nisi quatenus habet libertatem, vel moralitatem conjunctam, fieri potest, ut licet ex circumstantiis non augeatur bonitas actus in se realiter, ac physice, augeatur quodammodo respectu operantis secundum moralem aestimationem, vel imputationem.

5. Tertia observatio.—Ultimo advertendum, aliud esse loqui de rectitudine et honestate actus interioris proprie sumpta, quatenus dicit rationem virtutis, quæ bonum facit operantem: aliud esse loqui de proprietatibus quibusdam moralibus, quæ oriuntur, seu fundantur in honestate ipsius actus, adjunctis alius conditionibus personæ operantis et modi operandi, quales sunt laudabilitas actus, meritum, seu valor moralis, quem habet actus ad aliquos effectus: quæ proprietates sunt aliquo modo perfectiones ipsius actus, et dignitates quædam morales, et ut sic possunt, late loquendo,

quædam morales bonitatem: proprie tamen non sunt bonitas illa formalis, de qua agimus, quia illæ, ut sic, non faciunt moraliter operantem bonum et honestum, sed supponunt potius, et honestatem consequuntur.

Resolutio tituli quoad circumstantiam Quis.

6. Prima assertio.—His positis de circumstantia *quis* duo breviter dicenda sunt: unum est non augere rectitudinem et honestatem actus interioris, nisi transeat in rationem objecti: ut sit directe voluntaria modo exposito, sectione praecedente. Probatur, quia haec circumstantia personæ non est intrinseca ipsi actui interiori, nec per se spectat ad modum operandi moralem, qui ex cognitione intellectus et facultate voluntatis pendet, sed est extrinseca actui interiori: ergo per se ipsum non potest dare honestatem et rectitudinem: ergo solum, ut terminus alicuius habitudinis actus ad ipsum: ergo solum per modum objecti, quia actus non habet immediatam habitudinem, nisi ad objectum, vel ad ea, quæ illud compонunt. Confirmatur primo, quia haec honestas nunquam est in actu voluntatis, nisi sit voluntaria, ut probant quæ adduximus, sectione praecedente: ergo oportet, ut sit voluntaria, aut per modum actus, aut per modum objecti, sed circumstantia *quis* non potest esse voluntaria per modum actus, ut per se constat, quia est omnino extra actum, et extra modum ejus: ergo per modum objecti. Tandem hoc etiam confirmat signum supra, n. 3, adductum de *ubi*, et *quando*, quia si haec circumstantia *quis*, ignoretur nullam conferret bonitatem, quia nec malitiam conferre potest: signum ergo est debere esse voluntariam, et non indirecte, ut probat ratio dubii facta in principio, n. 1, nec per modum actus, ut dictum est: ergo directe per modum objecti. Neque in hoc est nova difficultas, quia facile intelligitur posse operantem seipsum respicere, ut objectum suæ voluntatis, et velle dignitatem, seu conditionem suæ personæ ad opus applicare.

7. Secunda assertio.—*Vide auctorem de Incarnatione.*—Secundo dicendum, posse actum interiorum habere ex circumstantia *quis*, aliquem valorem, seu dignitatem moralem, licet talis circumstantia non sit voluntaria: sed solum operatio ipsa. Patet exemplis, nam idem actus fidei, vel amoris est meritorius si sit a persona grata, non vero ab existente in peccato. Ut autem hoc habeat actus, sicut non pendet a cognitione, ita nec a voluntate ope-

rantis, quæ circa illam circumstantiam versetur. Nam licet quis omnino non cogitet de merito, nec de statu sua personæ, an sit grata, immo quamvis haec prorsus ignoret, revera mereretur suis actibus coram Deo: sicut ergo ad merendum non est necessarium, quod ipsum meritum, ut sic, sit voluntarium, et intentum, sed tantum quod honestas actus meritorii sit intenta, ita non est necesse, quod voluntas intendat suum actum esse formatum per gratiam personæ operantis, sed solum, quod re ipsa ita sit, supposita aliqui honestate actus. Unde juxta opinionem D. Thomæ, idem actus contritionis, prout natura antecedit gratiam tanquam dispositio, non est meritorius de condigno: et tamen in eodem instanti, statim, ac persona sit grata, fit ille meritorius de condigno gloriae: et tamen illa gratiae infusio non est cogitata, aut cognita, nec in se voluntaria, sed a Deo solo provenit. Hoc etiam confirmat exemplum Christi Domini, cujus opera habuerunt infinitum valorem moralem ex conditione personæ, non ratione voluntarii, sed ratione infinitæ dignitatis ipsius personæ, quæ per se ipsam informabat ipsos actus. Quinimo si illa dignitas personæ solum contulisset valorem per modum objecti voliti, revera non dedisset valorem infinitum, quia actus ex habitudine ad objectum infinitum non habet bonitatem infinitam: quia ipsa habitudo finita est, ut patet in amore Dei, et in actibus, quibus Beata Virgo offerebat filium suum, et totam dignitatem personæ ejus pro salute hominum: nam ille actus objective respiciebat infinitam dignitatem personalem Christi Domini: ex quo neque infinitam dignitatem, nec infinitum valorem habebant: actus ergo Christi habebant infinitatem ex dignitate personæ, non ut ex objecto, sed ut ex forma morali per se ipsam immediate informante, et significante tales actus, non quia voluntaria est, sed quia talis est: unde existimo ceteris paribus eumdem valorem habitura opera Christi, etiamsi ipse suam unionem hypostaticam ignoraret: quia tunc opera illa essent Dei, et consequenter re ipsa Deificata per unionem: quia hoc non pendet ex cognitione, vel scientia operantis: et tamen operum valor inde sumitur.

8. Ratio a priori sumenda est ex differentia inter hunc valorem moralem et rectitudinem, seu honestatem actus: quia per honestatem fit homo rectus, et studiosus, quod intrinsecè pendet ex cognitione, ac voluntate, quia voluntate efficimur boni, aut mali: at vero dignitas, seu valor operis formaliter non consti-

tuit bonum et studiosum, sed resultat potius ex honestate operationis adjunctis aliis conditionibus et circumstantiis: unde solum pendet a voluntate in quantum honestas in qua fundatur: et ideo ad hunc valorem non est necessaria voluntas omnium circumstantiarum et conditionum, quæ ad illum requiruntur, sed solum voluntas objecti honesti. Declarat, nam siue posito actu libero, potest ex illo naturaliter resultare, verbi gratia, habitus, vel aliquid simile sine nova scientia, aut voluntate operantis, ita potest ad illum consequi proprietas aliqua moralis, quamvis ipsa non sit intenta per se, nec voluntaria in se: et hujusmodi est hic valor ad merendum, vel satisfaciendum: ad hunc ergo conferre potest conditio personæ operantis, absque novo voluntario.

Resolutio quoad circumstantiam Quomodo.

9. Secundoloco agendum est de circumstantia *quomodo*, quæ distingui potest, nam quædam est physice et realiter attingens actum voluntatis, ut est intensione: alia solum moraliter pertinent, ut est major advertentia, major passio antecedens. Dicendum est ergo primo ex circumstantia *quomodo*, quoad intensionem augeri bonitatem actus physice, et naturaliter. Probatur ex dictis, quia in actibus ex objecto bonis, de quibus agimus, bonitas est ipsa entitas actus: sed per intensionem augetur realiter haec entitas in ordine ad idem objectum: ergo augetur intrinsecè, et realiter ipsa bonitas actus. Patet consequentia, quia sicut primus gradus dicit habitudinem ad tale objectum, et ita bonus est, ita secundus, et tertius, et omnis aliis similem dicit habitudinem: ergo quilibet gradus per se ipsum, et intrinsecè est realiter habens majorem bonitatem, quod totum augmentum manifeste est intra eamdem speciem, cum sit in ordine ad idem formale objectum: unde eo modo, quo quis opinatus fuerit de hoc augmentatione intensivo quoad entitatem, etiam opinari debet quoad bonitatem, quod scilicet fiat per additionem, vel per majorem radicationem, vel per utrumque simul.

10. Atque ex hac ratione intelligitur veritatem hanc non discordare a D. Thoma dicente, actum interiorum tantum sumere suam bonitatem ex objecto: nam haec bonitas, quæ sumitur ex intensione, etiam sumitur ex objecto: quia sicut absoluta entitas actus dicitur bona ex objecto, quamvis per suam entitatem